Quelle: https://manuscripta.at/?ID=365
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Summa cuiusdam Iohannis de boleto de diuinis officiis.

IN PRIMITIVA ecclesia prohibitum erat ne quis loqueretur linguis nisi esset qui interpretaretur. Quid enim prodesset loqui nisi intelligeretur? Inde est quod inoleuit laudabilis mos in ecclesia in quibusdam partibus ut post pronunciato litterarum euangelio statim in uulgari populo exponeretur. Quid autem in temporibus nostris est agendum ubi nullus uel rarus inuenitur legens, ut audiens qui intelligat, uidens uel agens qui animaduertat? Iam uidetur esse completum quod a propheta dicitur: Et erit sacerdos quasi populo unus. Videtur ergo potius esse tacendum quam psallendum, potius silendum quam tripudiandum. Sed ne claudantur ora canentium ad te domine deus meus, deo auxiliante contra hoc dampnum triplicis lectionis adhibeamus remedium. Et primo dicamus de ecclesiasticis institutionibus. Secundo de expositionibus diuinorum sermonum. Tercio de concinnationibus dierum. Primum est incipientium. Secundum proficientium. Tercium peruenientium uel consummatorum. De his ergo sub compendio et succincte aliquid ad minorum saltem eruditionem dicamus.

Auctor universitatis rerum altissimus et creator unus et trinus omnium est deus, de quo in psalmo: Domini est terra et plenitudo eius. De illa uniuersitate quedam specialia et specialiter retinuit sibi, uidelicet de locis loca ueneranda, et de temporibus sollempnes ferias, et de rebus decimas et primitias et oblationes et cetera donatiua. De personis quoque quasdam dicatas, ministros scilicet altaris, monachos, moniales. De his ergo iiii, locis scilicet, temporibus, rebus et personis et earundem rerum multiplicibus officiis dicendum est, et primo de locis.

Locorum igitur uenerabilium alia sunt orationi dicata, alia humane necessitati deputata. Loca humane necessitati destituta hec sunt: Xenodochium, Nasochomium, Yeratocomium, orphanotrophium, Thocotrophium, becotrophium. Sancti enim patres et religiosi imperatores quedam instituerunt loca ubi peregrini, orphani, senes emeriti, infirmi, imbecilles reciperentur. Locorum autem que orationi sunt dicata alia sunt sacra, alia sancta, alia religiosa. Sacra loca sunt que per manum pontificum sunt rite dicata et sanctificata deo, que diuersis uocantur nominibus, ut his scilicet: Ecclesia, sacrarium, sacellum, templum, oratorium, dei tabernaculum, monasterium, cenobium, kyrica dominicalis, domus orationis, basilica, capella. Sed nota quod oratorium uocatur quandoque ipsa ecclesia, dicitur et oratorium quilibet locus ad orandum statutus, quale statutum erat monachis in granchiis suis. Loca sancta dicuntur loca emunitatis circa monasteria que in terminatione certe persone sunt instituta, ut in parisiensi ecclesia claustrum ubi domus sunt canonicorum, ubi reis cuiusque generis si se receperint prestatur securitas. Et secundum leges muri ciuitatis et theatra et porte. Locus religiosus dicitur ubi hominis cadauer integrum sepelitur uel caput tantum. Truncus enim sine capite locum religiosum non facit. Et nota quod ecclesia sic edificanda est: parato loco fundamenti, primo episcopus debet ibi aspergere